

KNY-18-00752

IO. RVDOLPHVS ENGAV

I. V. D. ET P. P.

DE

I V R I B V S
P R I N C I P V M
E V A N G E L I C O R V M

C I R C A

O R A T O R E S S A C R O S



5718/937

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

M D C C L V I .

IO. RABOPIHVS ENOAV

F. V. D. ET T.

DE

IVRIBVS

PRINCLIPVM

EVANGELICORVM

CLERICORVM


ORATORIBVS SACROS



KNY-18-00752

FRANCOVITTI - FIRSAB

MDCCCLXX



§. I.



Quia Principes debent, quod alii fortissimis docuerunt argumentis, omnes vires cogitationesque suas intendere in veram salutem civium: quae faciunt ad hanc obtinendam, conservandam, aut promovendam, civibus praecipienda, contra, quae, quo minus obtineatur ea, impediunt, prohibendi potestatem, quisquam iis denegare audeat? Verus quum sit, immo verissimus canon ille philosophorum: *Obligatio ad finem dat ius ad media.*

*Principes
potestatem*

§. II.

Quia itaque Principes gaudent iure removendi impedimenta salutis reip. (§. I.); his autem optimo iure annumerari queunt facta, a tribus

*civiam a-
ctionibus,*

A

bus



bus illis vitiis, quae causam praebuerunt hominibus in ciuitatem coeundi, propullulata: consequens est, vt de obice his ponendo solliciti esse et possint et debeant Principes.

§. III.

facris quoque,

Quid nominis detur actionibus, saluti reip. noxiis, non curandum esse duco. Audiant profanae, sacrae, perinde est. Equidem scio, fore plerosque, qui oggerant, sacras actiones a Principe dirigi non posse, quum huius voluntati religionem suam submittere neque voluerint, neque potuerint, qui ciuitates inierunt. Tamen hoc de vera tantum nec reip. fini contraria religione concedendum esse iudico, neutiquam vero de simulata, palliata, fucataque, quam voluntatis magis atque intellectus esse, et sic Principis voluntati subiacere quisque intelligit. Vnde nullus video, cur prauis et reip. nocituris actionibus, quas sanctitatis pallio saepe tegere solent ciues improbi a), legem scribere haud possint Principes.

scribendi leges

*sanctione
numeras.*

a) Vid. Vir a Politica. factis. et d. de sanctitate, viti-
instructus TREVER de in-
iuriis religionis colore exor-
tiorum pallio.

§. IV.

§. IV.

Quia vero leges, vbi armatae haud sunt, *sanctione*
 sicuti campana sine pistillo, vtilitatis admodum *mutuas*
 nihil praestant: intelligitur, id quoque iuris
 Principibus ex ciuium, eos ad promouendam
 salutem ciuitatis obligantium (§. I.), voluntate
 competere, vt in haec vel illa facta poenam
 quamcunque, pecuniariam, carceris, infamiae,
 corporalem immo capitalem statuere, statutam-
 que a legum violatoribus sumere possint.

§. V.

In quibus Iuris Naturalis principiis et ge- *neque V.T.*
 nuina summi imperii ciuilibus indole, Principum
 christianorum, quorum eadem atque aliorum
 cura est salutis reip., iura consideraturo subsi-
 stendum esse statuo, dum, quod ea mutauerit
 aut imminuerit Deus, vel Christus, probatum
 erit. Ex lege autem, Regum Israeliticorum
 potestatem determinante *b)*, probabis eam te-
 mere. Singularis enim illa est, et ex Deoeratia
 fluens. Ecquis illius in rebuspublicis christia-
 nis poterit esse vsus? Aliae itaque, a Deo la-
 tae, quae Principum potestatem determinent,
 adferantur leges. Sed vbi sunt?

b) Deut. XVII, 18. seq.

§. VI.

neque N.T.
minuit.

Quod Christus eum in finem haud venerit, vt ciuilem nexum, et quae ex eo proueniunt iura, determinaret, aut, quod magis est, solueret, nouamque adornaret remp.; quodque incarnatus ea fecerit, et facienda omnibus praeceperit, quibus emendantur animi, non vero, quibus dubia redditur aut imminuitur Principum potestas, Scriptura sacra satis superque loquitur c). Iam quum Christiana ea dicatur religio, quae dictis et factis conuenit Christi: inter omnes constare puto, Principem, vbi ad Christianorum transit sacra, aut infidelis imperat Christianis, salua religione sua, illaesaque ciuium conscientia, ea omnia agere posse, quae cura salutis exigit reipublicae.

c) Vide loca, quae con- *habitu religionis christianae*
gessit PVFENDORFIVS de *ad vitam ciuilem* §. XIII. seq.

§. VII.

Hinc Prin-
ceps Chri-
stianus por-
est ciuibus

Proinde Princeps Christianus, dum ciuile illius imperium, et, cum hoc quae coniuncta est potestas agendi ea omnia, sine quibus cura salutis reip. frustranea erit (§. I.), neque V. (§. V.) neque N. T. (§. VI.) minuit: iure meritoque (I) subiectionem, reuerentiam et obedientiam exigit

exigit a ciuibus suis (§. II.), nulla habita ratione, quas inspiciat, dirigatque actiones, profanas, sacras (§. III.); et, si qui (2) directionem suam contemnant, pro circumstantiarum qualitate punit grauius, leuiter (§. IV.).

§. VIII.

Id iuris in omnes ciues, quocumque, clericorum, laicorum, insigniantur nomine, tribuendum esse Principi christiano, quis est, qui dubitet? Omnes enim, excepto nemine, magistratui subiicit Apostolus *d*). Iure fane optimo. Clerici enim aequae ac laici ad curam salutis obligant suos Principes *e*).

d) Rom. XIII. In quem locum CHRYSOSTOMVS homil. 23. ita commentatur: Omnibus haec praecipitur, sacerdotibus et monachis, non tantum secularibus, statim in ipso prooemio declarat Apostolus, quum sic dicat: OMNIS anima potestatibus supereminentibus subiecta esto, etsi Apostolus, siue Euangelista, siue Propheta, siue quisque tandem

fuerit, neque enim pietatem subuertit ista subiectio. Alios primitiuae ecclesiae patres tacitus iam praetereo. Si quis vero eorum dicta huc pertinentia cognoscere velit, euoluat. M. ANT. de DOMINIS de Rep. Eccles. VI, 4.

e) COCCII d. de fundamenta in territ. et plur. locor. concurr. potest. tit. 3.

§. IX.

Si omnis homo, omnis clericus subest potestati

testati Christiani Principis (§. praec.) quid est, quod eos, qui in suggestu stant, sermonem de rebus sacris iuxta voluntatem Dei, ratione et reuelatione significatam, habituri, et oratores sacri dicuntur, eximat? Fortasse suggestus et vestimentorum forma, certe sanctitas? *Sanctitatem suggestus* a IOANNE FRIDERICO MAIERO f) IO. ABRAH. KROMAYERO g) aliisque, *vestimentorum vero et suggestus simul* a Romano-Pontificiis nominari, equidem scio, sed suauius somniantes erunt mihi, dum me (1) quid sanctitatem conciliauerit suggestui, vestibus? manus fabri et sartoris, an Episcopi? religio Christiana, an superstitio gentili non inferior b)? (2) in quo consistat ea? (3) quo modo suggestui et vestibus tribuatur? et (4) qua ratione ab his communicetur cum oratoribus sacris? sufficienter docuerint.

f) d. de relig. suggest.

g) instruct. de Elench. mor.

p. 312. Omnium, inquit, MINIME IN PVLPITIS SACRIS CIVES SVNT, quum in illis legatorum munere fungantur. 2 Cor. V, 20. Vnde in ecclesia magistratus vicissim huius ministris subordinatur,

qui in officio suo et potestate redarguendi peccata a nullo homine, sed solo Deo pendent.

b) hanc putarem, quum pompa suggestus iam olim tanta fuerit, vt θεσμοὶ ἐπιτοξιοὶ dicerentur. Arnolds Ab- bildung der ersten Christen lib. II. c. 12. §. 9.

§. X.

In diuina muneris qualitate, et in eo, quod munus immediate collatum a solo Deo ita dependeat, vt ii, quibus collatum, non subſint magiſtratu ciuili, cauſam quaerunt alii i); ſed, ſi quid video, temere. Si enim neque Chriſtus, neque illi, quos Saluator ad munus vocauit apoſtolicum, exempti fuerunt a ciuili poteſtate; qua ratione ii, qui aliter, atque permittente aut iubente Principe, eccleſiae cuidam praefici nequeunt, ſe a ciuitate exemptos praedicare poſſunt? quum adhuc in ciuitate ſint, illiusque gaudeant ſalute, et, quis ab obſequio Principi praefiſtando exemerit eos, neſciant.

i) Pax et venia danda eſt verbis LUTHERI To. VIII. Ien. f. 188. qui vixit tempore, quo iura Principum circa ſacra adhuc latebant. An. et WIGANDO lib. vom Straf-Amt venia danda verborum: Ein Prediger iſt über ſie alle (Bürger, Bauer, Knecht, Herr, Fürſt, Untertan) als ein geiſtlicher Fürſt im geiſtlichem Regiment Chriſti, oder als ein Legat Chriſti, dem ſie nach

Gottes Wort gehorchen ſollen, und hören, was Gott durch ihn läßt fürtragen, et auctori verborum, quae refert DEDEKEN *Conf. Theol.* p. I. tit. von Heil. Predigt-Amt n. 24. f. 821. ſeq. Über ihre (der Prediger) Gewiſſen, Glauben, Lehre, Bekänntniß, auch ihres Berufs Verrichtungen laſſen ſie der Obrigkeit keine Gewalt, und ſich nicht vorchreiben, wenn und wie ſie in ihrem Amt han-

handeln sollen. : : Hinge- von demselben Gottes Wort
gen die weltl. Obrigk. mit zu hören und anzunehmen sich
ihren Gewissen und Seelen den Kirchen : Sagungen
dem Predigt : Amt unter- zu unterwerfen ic. videant
worfen, und ist schuldig, alii.

§. XI.

ferre. LL. Potest itaque Princeps Christianus (1) ora-
toribus sacris, ciuibus suis, legem scribere om-
ni tempore obseruandam (§. III. IX. seq.); (2)
tendere et rogare eos, quid scribant, loquan-
tur in suggestu, aut alibi agant; (3) eorum ser-
mones, quos indistincte diuinos iudicat vul-
gus, quique, quod quotidiana docet experien-
tia, facile instrumentum esse possunt, pessima
perpetrandi scelera, ad salutem reip. dirigere.
(§. II. seq.)

§. XII.

poenales. Denique non potest non gaudere (4) iure
in Oratores sacros, si qui leges violaturi aut
personam suam sint contemturi, poenam quam-
cunque statuendi, statutamque sumendi (§.
IV.) k)

k) LVDOLF. *obs. for.* 193.

§. XIII.

§. XIII.

Quae thesis haec, conscientiae libertati fre- ^{quicquid}
 num iniiciens? qui quaerant, quique ab ortho- ^{ogannians}
 doxia remotam ponant eam, et cum Suenden- ^{alii.}
 stede dicant: Was? soll die Obrigkeit darinnen
 Richter seyn? viel eher der Teufel. Was weiß
 und verstehet die Obrigkeit von der Religion n)?
 fore plerosque, nullus dubito. Sed hi erunt fe-
 re, qui sanae rationis et verae religionis dicta-
 minum plane expertes nihil verum, nihil ortho-
 doxum, nisi quod voluntati eorum peruersae,
 dictis patrum, quasuis sententias defendentium,
 factis Constantini M., et sententiis haereticum
 conuenit, putabunt. Hi si ab affectibus et
 praeiudiciis vacui esse didicerint; indolem ve-
 rae religionis cognouerint; Constantinum M.
 ex causis politicis iura sua in ecclesiam negle-
 xisse et clero velificatum esse relatum legerint;
 nihil tam absurdum esse, quod ex patrum di-
 ctis probari nequeat, in scholis patristicis au-
 diuerint; haeretifices erroribus et affectibus sae-
 pe regi experti fuerint: non admirabuntur, nos
 in delineanda Principum Christianorum potesta-
 re circa Oratores sacros, rationem tantum, re-
 uelatione tacente, secutos.

1) V. Protocoll. et Act. sise. contra Krumbholtz f. 169.

B

§. XIV.

§. XIV.

*Cui iuri
quidem*

An et quodnam ius circa sacra, praesertim circa mystas, ante paces religiosas habuerint Principes? disceptatur. Eminens illud fuisse, praeter paroemiam: *Jeder Fürst ist Herr in seinem Lande m)*, non vnus et alter, sed cohors eruditorum docet. Nominabo tantum Ill. IO. GEORG. ESTOREM *n)*, IO. GEORG. REINHARDVM *o)*, IO. PETR. de LVDWIG *p)*, SIM. FRID. HAHNIVM *q)* HENRICVM de BVNAV *r)*, TOB. ECKHARDVM *s)*, plures nosse desiderantem delegaturus ad modo laudatum Dominum de LVDWIG *t)*.

m) Vid. Cancell. Acad. Hall. d. de praecip. Princ. Eu-
ang. p. 4. *perii potestate in sacris ante paces relig. c. 3.*

n) Specim. I. Publ. Hass. *q)* Obseru. ex I. Publ. med. aevi p. 28. seq.
o) meditat. de Iur. Princ. German. cum primis Saxon. circa sacra ante reform. *r)* Leben Friedrichs I. p. 16. 49. 121. 159. 201.

p) de Principum S. R. Im- *s)* Auctor. Herr. Leon. circa sacra.
t) c. 1. §. 3.

§. XV.

*pontifex de-
div smites,*

Ast maxime limitatum fuisse videtur mihi. Instituta enim hierarchica a fide distinguere *u)*, (2) clericos nuntios Dei colere, et (3) caeca obe-

obedientia prosequi, nec (4) exemptionis a potestate civili privilegia adimere, Principes docuerat pontifex, ciuitatis iuribus admodum noxius m).

u) Dominus de LVDWIG. modo cognosci potest. Dicitur enim ibi: der Pabst mag kein Recht setzen, damit

m) quod quoque ex *Spec. Sax. lib. I. art. 3.* quodam. er unserm Land-R. oder Lehns R. Abbruch thue.

§. XVI.

Ex quo autem integritati suae restituta sunt ^{quos tamen hodie sperunt Euangelici.} Christiana Germanorum sacra, et nuntius missus est pontifici, maiori et illimitata potestate circa sacra euangelici Principes gauisi sunt, et adhuc gaudent, gaudebuntque in perpetuum. Perpetuae enim leges adstipulantur eorum sententiis.

§. XVII.

Quae quum ita sint, dabit quilibet mihi, ^{Dirigere itaque possunt} vt contendam, Principem Germaniae, euangelicorum sacris addictum, sicut reliquos ciues, ita et oratores sacros dirigere posse x), si uel maxime fors et serui domini, angeli, dii y) regesque spirituales esse, et officium suum ab ipso

Deo habere, ideoque a Principibus non dependere, nec iudicari posse z), sed, ad iussum Pauli a), iis imperare dicantur in Iure Canonico-Pontificio, a Germanis recepto, ab Euangelicis retento, et a pluribus ecclesiae nostrae doctoribus acriter propugnato b). Facta enim est receptio et retentio, saluis moribus Germaniae, salua religione nostra, saluis Principum iuribus; propugnatio vero quum ad instar legis Principes obligare nequeat, papismumque re-
deoleat, summo contemnitur iure.

x) V. GROTIUS *de iure summar. potest. circa sacra*

c. 4.

y) c. 41. C. XI. q. 1.

z) c. 15. §. 1. C. II. q. 7. et cit. c. 41. vid. ANG. Card. CELSVS *dec. II4. n. 2. et 229. n. 1. seq.*

a) *Ebr. XIII, 17. 24. vbi tamen Apostolus de obsequio*

interno, non externo loquitur. Id quod demonstratum dederunt Ill. BOEHMER *I. Eccl. Prot. lib. I. tit. 24. §. 38. et Dn. PERTSCH. Elem. I. Can. p. 1. §. 185. **

b) *Conf. Witteb. ap. THOMAS. Jur. Handel p. IV. p. 121.*

§. XVIII

Quid? quod *debet* attendere praecones verbi diuini. Hi enim illud habent cum aliis hominibus commune, vt ad imperium omnes cogitationes conferant, aliosque, si fieri possit, sibi subiiciant: hoc vero proprium, vt a plebe fere habeant-

et debent oratores sacros,

habeantur dii, et sic paroemia: *Plebs religione plus vates quam duces sequitur c)*, in veritatem abierit atque vsum. Constat enim ex ecclesiasticarum rerum monumentis, (1) grauissimo cum Principum damno, florido sub pietatis et religionis colore, se ciuilibus negotiis immiscuisse, atque statum in statu condidisse, clerum pontificium; (2) nihil aegrius factum esse, et adhuc fieri multo labore Principum, quam, vt doctorum nostrorum cupido a ciuili imperio abstineretur d).

c) REINKING. de R. S. et E. lib. III. cl. 2. c. 2. OSIANDER H. F. cent. IV. lib. II. c. 28. p. 210.

res plerumque tenent sacrorum antistites, ita vt deprecari quandoque possint prebendere, et intestinis motibus atque seditionibus vel excitandis vel reprimendis idonei semper existant. ZIEGLER de I. M. lib. I. c. 18.

d) Item testatur ZIEGLER h. v. vtens: *Multum potestatis apud suos Audito-*

§. XVIII.

Quia Princeps, quisquis sit, in exercendis iuribus suis, causam, cur his gaudeat, perpendere, et in eam descendere, vel, quod eodem recidit, officio suo satisfacere debet: vides, cur Princeps euangelicus, concionatores directurus, non suam ipsius libidinem, sed (1) ciuitatis et

(2) ecclesiae, quam adprobavit, salutem attendere, atque (3) *τα μεσα*, de quibus acriter disputatur, determinare debeat. Quae tria, vt distincte procedamus, seorsim exponere constituimus.

§. XX.

*Probibeant
iraque I. iniurias,*

Quicquid salutis civitatis contrarium est, removere debent Principes evangelici, oratores sacros directuri (§. XIX.). Id quod etiam fecerunt, et adhuc faciunt, statuentes, ea omnia, quae salutis civitatis nocitura notauerint, civibusque interdixerint, eodem modo interdicta esse oratoribus sacris. Hinc ex praeconibus verbi divini eos habent puniuntque reos criminis *iniuriarum e)*, qui ad civium, et *laesae maiestatis*, qui ad Principis aut illius consiliariorum contumeliam verba quaedam protulerunt; voluntque poenam *fractae pacis* ipso iure et facto incurrere eos, qui Evangelicos contra Romano-Pontificios, aut hos contra illos incitare nulli dubitarunt etc. *f)*

e) a *Const. El. p. IV. const. 42.* vbi verba: daß iegli-
cher, wer der auch wäre ic.

f) I. P. art. V. §. 29.
XVII, 4.

§. XXI.

§. XXI.

Iniuriarum haberi reum, qui tempore, quo quas profere-
rendi ani-
mum colligo malum in dies crescit, et hominibus magis magisque irascitur Deus, prauos auditorum mores corrigendos culpat: id a iure alienum esse, vel ex eo patere forsitan putas, quod (1) iniuria sine dolo committi nequeat, nec (2) dolo, sed animus emendandi, sicut in patre naturali filios *g*), ita spirituali auditores paulo acerbius perstringente, praesumatur *h*), praesertim quia (3) paterna charitas maior est in pastore, atque naturali patre, quum hic caduca, ille aeterna vita nos frui faciat *i*), et (4) Sp. S. *doctorum* linguam dirigat, ac, suggestus notissimus iudicii locus sit (5), adeoque ex COVARVIAE mente verba iniuriosa ibi prolata sine animo iniuriandi dicta videantur *k*). Crederem *illud*, si haec praesumptio, animi iniuriandi exclusiva, iuris esset et de iure, nec iuris tantum *l*). Hoc autem rideo; non enim auctoritate, sed ratione legibusque opus est ad probandas has illasue opiniones. Itaque stabit sententia nostra: *In Oratore sacro animum iniuriandi esse posse*. Hinc est, cur illius conuictus aut confessus teneatur (1) vel ad id, quanti iniuriatus aestimauerit iniuriam, soluendum, vel ad palinodiam *m*)

can-

cantandam *n*), (2) ad poenam remotionis, translationis, relegationis, carceris, vel aliam, iniuriarum qualitati respondentem, subeundam *o*).

g) secundum illud: kein Vater kan seinen Sohn schelten. De qua paroemia. V. PISTORIVM cent. VI. par. 25.

b) Ebr. XII, 9. IO. c. 3. D. 86. vid. CARPZOV. *Iurisprudencia Consist.* lib. I. def. 149. IO. IAC. WISENBACH p. II. D. 30. th. 17. BERLICH. p. V. concl. 60. n. 7. IO. HVLESEMANN *de iure et moderatione correptionis fraternae* pag. 335. seq. BRVNNEMANN. I. *Eccl.* II, 18. §. 63. ibique STRYK.

i) SIMON. c. d. membr. II. th. 5.

k) CARPZOV *Iurispr. Conf.* lib. III. def. 99. n. 5.

seq. SELTENREICH I. *An verbi Dei minister specialia pro concione adducens iniuriarum actione conueniri possit?* c. 3. §. 2.

l) SAM. STRYK. V. m. x. tit. de Iniur. §. 3. Diff. HVLESEM. *de corrept. fratern.* §. 17. n. 353. p. 331.

m) Non enim curamus verba c. 4. D. 86. quippe quae hierarchia, a nobis reprobata nituntur.

n) SIMON d. *de action. iniuriar. sacerdot. concern.* membr. II. th. XI. nobis sistit palinodiae formulam.

o) IDEM c. d. m. II. th. I.

§. XXII.

Praesumptam iuris opinionem de pastoris animo peccatores emendandi elidi posse, dictum est

est (§. XXI.). Forsitan ex me quaeris, quomodo id fieri possit? Accipe, hoc, vt probem: praeconem verbi diuini non eo laborasse, vt erroris, peccati, criminis hunc vel illum auctorem conuinceret, sed vt exponeret eum aliorum contemptui. Probo autem illud (1) ex eo, *quod non tam vitia quam personam notauerit.* Hinc quoque sub poena diserte prohibuerunt Principes euangelici p), ne quis oratorum sacrorum, peccatorem aliquem in suggestu nominet, aut ita designet, vt, quisnam sit, ab omnibus intelligatur q).

p) I. B. WERNHER. *princ. Iur. Eccles. Protest. c. III. §. XIII.* Vide Edicta Berolinensia de A. 1666.

q) *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 3.* Nachdem denen Pfarrern und Kirchen-Dienern mit Ernst auferlegt und eingebunden, daß sie in ihren Predigten ihrem eigenen *Affect* mit holhippeln, poltern oder schmähen nicht nachhängen, sondern sich aller Christlichen Sanftmuth und Bescheidenheit nach der Lehre S. Pauli gebrauchten, ist solches von uns keines-

weges dahin gemeinet, daß die Kirchen-Diener mit gebührenden brennenden Ernst, und Christl. Eifer, das lästerliche und gottlose Leben derer Pfarrkinder nicht strafen, und also die Laster nicht rühren dürfen; sondern solches ist allein auf die ärgerlichen Predigten gemeinet, da die Pfarrer aus Zorn und eigener Rachgier ihre eigene Sache auf die Cangel tragen, und mit Ungerniß der Gemeine ausgestossen, die Leute mit Rahmen genennet, oder sie sonst ausgemahlet, daß männiglich,

lich, wer sie seyn, wohl verstehen könne zc. = = sondern da einer wider seine Pfarr-Kinder, eines oder mehr, eine Sache haben möchte, soll er dieselbe = = christlich, freundlich, mit ihm insonderheit ohn alles Vergerniß und Weitläufigkeit austragen zc. *Magdeb. c. XVIII. §. 8. ---* So sollen die Prediger insgemein die Sünde mit Christlichem Ernst und gebührender Bescheidenheit öffentlich strafen, aber keinen Affecten nachhängen, noch aus Zorn ihre eigene oder andere Sachen auf die Kanzel bringen zc. *Altenb. L. D. P. III. p. 218.* = = solches nicht alsobald weder mit Benennung, noch eigentlicher Beschreibung der Personen, daß iederman merken könne, wer genennet werde, auf der Kanzel und in

der Predigt anführen, und die Personen wegen des beschuldigten Dings öffentlich strafen, sondern nach Christi Befehl zc. *Vt alias constitutiones tacitus praeteream. Quae tamen leges saepe vilipenduntur, vt vel docent (a) sermo, quem pastor ille, cum fabro quodam ferrario, cui Alexandri nomen erat, contendens, in suggestu habuit, dictum Pauli: Alexander der Schmid hat mir viel böses erwiesen, interpretaturus, litesque hodiernas vehementer reprehensurus, et (b) verba: Was erhebt der Mann vor Streit in seinem Hause und mit seiner Frau, quae quis in suggestu enuntiauit, tempore, quo quid iurgii inter H. et illius vxorem extiterat.*

§. XXIII.

Quae sententia quibusdam, ad Prophetarum *r*), Christi *s*) et Pauli *t*) facta prouocantibus, et, quum generalis elenchus nihil prodesse

se iis videatur *u*), auditoribus nominandos esse, quos fugere debeant, contendentibus, iniusta *x*) videtur esse; Ast mihi iusta erit, dum ab iis probatum erit: (a) munus Prophetarum et Doctorum ecclesiarum nostrarum idem eademque ratione collatum esse; (b) oratores, dum redarguunt alios, idem facere atque fecerunt Christus gentiumque doctor; (c) idem semper esse, duo quum faciunt idem.

r) Ierem. XXIII, II. Zeph. III, 4.

s) Matth. XXIII, 13.

t) 2 Tim. II, 17.

u) FROMM. p. I. p. 109.

x) BERNH. V. SANDEN *Theol. Symb.* p. 82. th. 13. *Neque peccata solum sint culpanda, sed et peccantes personae coarguendae, iuxta exem-*

pla Prophetarum, Christi et Apostolorum, qui non tantum in peccata, sed et IN PECCANTES graues habuere inuectiuas. Quemadmodum in politia non furtum, sed fur suspenditur; in Oeconomia non petulantia, sed puer castigatur; et medicamentum non morbo, sed aegrotanti propinatur.

§. XXIV.

Sic quoque dantur, qui statuunt, vnam vel alteram legum, quas laudauimus, aliud plane loqui, quam nos inde deducere nulli dubitamus. Ast, si quid video, coniungunt diuidenda,

da, et diuidunt coniungenda. Num huic classi adscribi debeat Ill. LEYSER *c. spec. m. 8.* his verbis: *id vnice prohibere, ne sacerdotes IN CAUSIS PROPRIIS nimium sibi contra eos, a quibus offensus se credunt, indulgeant, vtens, quilibet facile intelligere potest.*

§. XXV.

et praxi consentiente
Sententiae quoque nostrae (§. XXII.) cum Pauli facta *y*), tum praxin, in foris nostris receptam, respondere, inter omnes constat. Innumeras itaque cur adferam factorum species et Iuridicorum Collegiorum decisiones *z*), causa non est. Sufficiat mentio illius, qua pastor, qui tempore disceptationis inter duos agnatos de ouiaro ortae, in suggestu narrauit, quid et quo iure, quae iniuria illud inter Abrahamum Lothumque actum sit, a ICtis Halensibus iniuriarum iudicatus est reus *a*).

y) Act. XVII, 22. 30. MON. d. de actione iniuriar. XXVI, 24. 25. *contra sacerdotes.*

z) CARPZ. *Iurisprudencia Cons. lib. III. def. 98. SI* *a*) Ill. BOEHMER To. I. p. I. dec. 109.

§. XXVI.

§. XXVI.

Sic quoque, si callidus orator peregrinas circumstantias immiscuerit propriis, ut quidam, pauci tamen, dubitent: an hic vel ille verbis designatus sit? is non iniuriarum quidem condemnatur, tamen ad iuramentum purgatorium praestandum adigitur. Casum in terminis, ut rerum forensium Dd. loquuntur, sistit THOMASIVS b).

b) Jurist. Handel p. I. cas. 23.

§. XXVII.

An, qui in suggestu publico cuiusdam generis, aut fidei formulariae, homines nominatim conuictus est, a poena et iniuriarum actione tutus sit? non quaero temere. Etenim bene scio, quam ad illud respondentes haesitent Dd. Equidem distinguendum esse cense-rem; solum intellectus errorem, an delictum obiecerit atque culpauerit pastor? statueremque, iniuriarum actione pastorem conueniri posse in posteriori casu, et ubi membra ecclesiae intellectus erroris publice arguit. Hinc iniuriarum tenetur, qui sartores, molitores aliosque opifices vocauit fures, quicquid in contra-

rium dicat Ill. LEYSERVS c). Quodsi vero solus intellectus error obiectus fuerit iis, qui familiam ab ecclesia parochi distinctam publice inierunt, aliud dicendum erit.

c) med. ad π . sp. DXLVIII. m. 7.

§. XXVIII.

Porro non animum emendandi, sed iniuriandi prodit (2) pastor, qui peccatores *scommatibus, sarcasmis, iisque laceffit verbis, quae ad infamiam eorum pertinent, vel ad contemptum, minuendamque dignitatem.* Nullam habeo rationem, a moribus pravis, an a corporis vitiis, probrosa desumerit pastor nomina, quibus vocavit auditores suos. Omnia ad contumeliam peccatoris faciunt. Hinc qui auditores suos vel alios vocavit: Schlingel, Flegel d), Tage-Diebe, die ihren Nahmen auf Kupffer und unwerthe Materien schlagen e), Schloß-Dieser f), Narren, Låsterer, Esel, Pasquillanten, Ehren-Diebe g), Mist-Fincken, Ehrenvergesne Schand- und Lotter-Buben h), Huren, Bestien zc. i) aut Dickkopf, Krumbein, Grind-Kopf zc. k) sammete oder eingemauerte Bauern, iniuriarum, si quid video, conueniri potest l).

d) quod

d) quod fecit pastor ille ruralis, qui sermone suo epanorthotico coronidem addidit, hoc epiphonemate:

Nun Jerusalem die Mauern
Das sag ich euch ihr Bauern
Ihr seyd Flegel verdenckt mirs
nit
Es hats gebracht mein Text so
mit.

vid. IO. IOACH. SCHOE-
PFERI d. de usu et abusu
elenchi eccles. c. 2. n. 43.

e) quibus verbis contra Professores Rostochiensis, speciatim ICTOS, quod quendam, qui in colloquio et disputatione non optime steterat, doctorem iurium renuntiassent, usus est ENOCHVS SCHWANTENIVS, teste Ill. LEYSERO c. sp. m. 8.

f) quod nomen concionatori cuidam aulico dare

non erubuit Diaconus ille, de quo multa refert TENZEL *Monat. Unterr. de A.* 1697. p. 270.

g) V. art. inquis. *Krumb.* 204. 205. 206. 208.

h) V. Prot. et Acta Fisc. contra *Krumb.* f. 520.

i) STRYK. V. m. π. tit. de iniur. p. 571.

k) quo nomine Papam (qui caput ecclesiae audit) olim vocavit SCHALLERVS, Theologus Argentoratensis. Quod me ex DORSCHER comment. in IV. Euang. docet GEORG. HENR. GOETZ d. D. *Luthers Schuhe sind nicht allen Dorfpriestern gerecht* p. 13.

l) CARPZ. *Iurisprud. Con-* sist. lib. III. d. 98. IO. GEORG. SIMON. c. d.

§. XXIX.

Actio tunc
iniuriarum
obinet, li-
cet
a) verita-
ris, aut

Quae iniuriarum actio elidi nequit (a) op-
posita *veritatis* exceptione. Iniuria enim fit,
non modo, si quis verbis contumeliosis inno-
centem laceffit, sed etiam, si quis se vera dixif-
se probare velit *m*). Ut itaque me nescire fa-
tear, quo iure LEYSERVS *n*) sententiae, qua
Schwantenius ad declarationem honoris ad-
actus est, subiicere potuerit: *Quae sententia, si
Schwantenius falsa dixerat, oppido mollior est,
DVROR AVTEM SI VERA. Nam si inter Pro-
fessores otiosi homines reperiebantur, qui remp., in
quam nihil labore suo conferebant, arrodebant;
si nouellus ille doctor vere asinus erat; ego, tan-
tum abest, ut Schwantenio, quod publicum illud
dedecus sibi displicere publice declarauit, vitio
vertam, ut magis praemio illum dignum iudicem.*

m) 5. C. de iniur.

n) c. d. p. 13.

§. XXX.

b) imitatio-
nis Christi
exceptio op-
ponatur.

Non praegnantior est secunda, qua conui-
tiosi pastores vti solent exceptione, quod scili-
cet (b) Ioannem Baptistam *o*) Christumque *p*),
qui saepe auditores suos verbis contumeliosis
laceffuerint, sint imitati. Duo, quae nunquam
probari

probari possunt, ante probent, quam hac utantur exceptione. *Vnum* est, quod Ioannes Baptista et Christus auditoribus suis iniuriam inferre potuerint, et vere intulerint: quum tamen Spiritus diuini impulsu locuti sint, et dubium adhuc nobis resideat, an ea ipsa verba, quae quibusdam contumeliosa videntur esse, protulerint Elias posterior et Saluator noster. Arridet sententia summe Reuerendi MARPERGERI *q*), qua nucleo complecti tantum dicuntur, quae prolata sunt ad conuincendos Pharisaeos et Sadducaeos, quod Baalitas secuti fuerint, Deumque deseruerint. *Alterum* est, quod imitari possint, et dicta proferendo contumeliosa vere imitentur, Iohannem Christumque.

o) Matth. III, 7. Luc. 16. 23. Luc. XXIV, 25. Io. III, 7. VIII, 44.

q) *Vom Lehr: Elencho*
p) Matth. XII, 34. XXIII, p. II. p. 149.

§. XXXI.

Atque haec sententia nostra (*a*) *dictis Christi r*) et *Pauli s*) optime conuenit; speciatim vero (*b*) *officio Episcopi*, quod Paulus descripsit *t*), respondere videtur BINGHAMO *u*), ad

D

cuius

cuius origines legendas ingenti cupiditate inflammantur, quotquot rerum ecclesiasticarum antiquitatibus iustum statuere pretium didicerunt. Conuenit denique (c) *legibus* prouincialibus; v. c. Saxo-Electoralibus x), Coburgicis y) et aliis. Quod quoque (d) *praxis* seruet eam, docent CARPZOVIVS z), Illustris BOEHMERVS a) aliique.

r) Matth. V, 22.

s) I. Tim. V, I. seq. 2. Tim. II, 24. 25.

t) I. Tim. III, 3.

u) his quando Vol. II. p. vtitur verbis: *Vocabulum πλησσειν significat etiam lingua percutere, h. e. criminosis verbis ac contumeliosis dictis proscindere, quemadmodum Chrysostronus, Hieronymus aliique interpretantur. Quo sensu etiam (in veteri ecclesia) prohibitum fuit, tanquam a grauitate et prudentia Christianorum sacerdotum, non mi-*

nus (ac manu quem percutere) alienum.

x) cit. art. gen. vbi verba: daß sie in ihren Predigten ihren eigenen Affect mit *Holbüßeln, Poltern oder Schmähen* zc.

y) p. 159. daneben aber in solchem hohen göttlichen Werk nicht etwa ihren eigenen Affecten mit *Poltern und Schmähen nachhängen* zc.

z) *Iurispr. Cons. lib. II. def. 98. n. 20. 21.*

a) *decis. IIo.*

§. XXXII.

Denique, si quid video, nec (e) ille, qui quod

quod *uel* a prima statim iuuentute audiuerit, et post in variis scriptis legerit: doctoris ecclesiae esse, auditores suos, etiam acerrime, reprehendere; *uel* sermonem, quo iniuriam commisisse dicatur, ingressus hoc suspirio

Hilf, daß ich rede stets, womit ich Fan bestehen,
Laß kein unnützes Wort aus meinem Munde
gehen,

praetexit, excusandus est. Nam quod fatua causa ab omni dolo et culpa liberet, nonnisi fatui statuunt, atque, quod is, qui longe aliter agit ac precatus est, hypocrisin prodat nomenque diuinum profanet, cordatiores fatentur theologi *b*).

b) IAHNVS de verbi praeconio peccare facientibus §. 18.

§. XXXIII.

Nullum deinde animum peccatores emendandi in eo esse, *3*) qui, quae sine periculo et offensione cuiusquam taceri possunt, in medium profert, prolata culpam, et ubique vel efferuescit, vel triumphat *c*), res ipsa loquitur. Prauos enim peccatorum mores arguere deberet pastor, eorum misericordia motus, ad exemplum Christi *d*), ad mandata principum *e*)

3) ex hilari
vel odioso
culpantis a-
nimo.

c) cum illo pastore, de quo apud Ill. BOEHMERVM To. II. p. II. dec. 1100. n. 21. 22. legitur, quod in suggestu dixerit: So Triumph der Feind ist tod.

d) Matth. IX, 36. Luc. XII, 41.

e) Const. El. Sax. c. art. gen. Sein Amt iederzeit mit aller Sanftmuth verrichten, daß die Psarr-Kinder vernehmen mögen, daß seine Strafs-predigten nicht aus fleischlichem Willen, sondern Christlichem und väterlichem Eifer hergestossen.

§. XXXIV.

4) *ubi causa vel pastoris propria,*

Porro (4) eliditur peccatores emendandi animus, quem iura praesumunt, vbi probas, *causam, cur increpauerint, eorum propriam* fuisse. In quo mecum consentiunt, non solum leges (§. XXII, r) sed et omnes fere theologiae et iurium doctores, quorum BOEHMERVM f), LEYSERVM g), WERNHERVM h), FROMMIVM i), MICHAELEM k) laudasse sufficet. Nemo itaque erit, qui non detestetur verba illa, a Krumbholzio in suggestu temere prolata: Wo mich der grosse Mann ja fressen will, so fang er am rechten Ort an, wo Senf und Fleisch zugleich l); non solum enim causam ea proferentis propriam loquuntur, sed simul obscaena sunt et sordida.

f) dec. 109.

g) c. sp. med. 6.

h) princ. I. Eccl. c. III. §. XII.

i) p. II.

i) p. II. p. 155.

l) Act. Krumbh. art. inq.

k) *Pastor redarg.* p. 95.

213.

§. XXXV.

In emendatoribus veris illum quoque non esse puto (5), *qui quaeuis a vulgo dicta*, spreto monito Siracidis, non inquirentes, sintne in facto, atque iure dubia, an certa, *cenforia* statim *notant virgula m*), et sic haeretici sunt, Athanasio iudice *n*). Fallor, aut (α) nemo pastorum potest in homicidium, de cuius corpore nondum constat, vehementius inuehi *o*) et, vbi hoc, quod Leges prohibent, fecit, exceptione animi emendandi se tueri, vbi iniuriarum conuenitur ab eo, quem homicidii auctorem vulgus habet *p*); nec (β) ab omni poena immunis dici potest, qui rerum indifferentium *q*) vsum i. e. *putatium*, vt cum NITSCHIO loquar *r*), et *phantasticum* taxauit *vitium*.

m) Notatu digna sunt verba IOH. FISCHERI in *Christl. Hergbeweg. Petr.* p. 490. wie? soll man ein beifsend Pflaster auf die Wunde legen, da man noch nicht weiß, daß sie faul ist? oder iemand einen Stein schneiden, da er mit dem Uebel nicht gequället wird. Huc quoque per-

tinent verba der F. M. K. D. cap. 22. th. 18. Wann ein öffentlich Gericht von einer Person Laster erschallet und lautbar würde, welches doch noch ungewiß und unbekannt wäre, soll der Prediger dieselbe nicht mit Nahmen auf der Kanzel nennen, vielweniger in Bann thun,

oder damit betrauen, sondern das ruchbare Laster ernst und bescheidenlich insgemein strafen.

n) qui haereticum *συνοψω-
την* describit, *ingere qui non
visa potest.*

o) *Const. Eccl. Cob. 159.*
Sie sollen nicht alle Träume,
ungewisse Mährgen, und un-
gegründete Anflagen liebers-
lich auffangen, und hernach mit

grossen Vergerniß der Gemein-
de und ihrer selbst eigenen
Schande, auf die Kanzel brin-
gen.

p) *Casum in terminis, vt
loquuntur, sistit Ill. BOEH-
MER To. II. p. II. dec. 1159.*

q) v. c. daß man Cränze
auf den Sarg leget, den Des-
gen beyh Tauf-Stein anhas-
be zc.

r) *myst. feru. p. 61.*

§. XXXVI.

*vel occulta
est, aut*

Cur emendandi animum (6) in eo, qui au-
ctorem vitii, quod clam peractum, paucisque ex
auditorum numero cognitum est, verbis per-
stringit aculeatis, praesumere velis, equidem
non video. Obstat enim sana ratio; obstant
leges, ex quibus Magdeburgensem laudasse suf-
ficit, cuius verba s) haec sunt: Wann ein began-
genes Laster noch gar heimlich, und dem Prediger
allein oder sonst wenigen bekannt ist, soll derjeni-
ge, so damit behaftet, in geheim treulich vermah-
net werden, davon abzustehen zc.

s) c. 22. th. 13.

§. XXXVII.

Denique pravi animi emendator non vide-
tur

7) pastor se
iudicem ge-
rit.

tur esse mihi (7) *qui se iudicem gerit*, et vestigiis Georgii Ep. Alexandrini insistens poenam dicit a peccatore luendam. Concordant mecum CARPZOVIVS et SCHOEPPERVS, quorum ille t): *non vindicant, inquit, non coercent concionatores delicta, sed corrigunt tantum delinquentem, et praemonent ecclesiam, quae hoc nomine potuisset offendi; hic u) vero dicit: Si quum, homicidio commisso, perstringunt homicidium, recte funguntur officio, modum autem excedunt, si poenam, quae criminis illius reus plectendus, simul addant.*

t) *Iurispr. Conf. lib. III. def. 99. n. 5.* u) *c. d. n. 18. 19.*

§. XXXVIII.

Quum salus reip. promoueat legibus, harum autem nulla fere vis sit, destructa latoris auctoritate: Principes, curatores salutis reip., de conseruanda sua apud omnes ciues auctoritate oportet esse sollicitos. Et quia, vbi cui-dam ciui, quisquis sit, licentia datur impune contemnendi, vituperandi et publice corrigendi Principem suum; huius imminuitur et tandem vilescit ac concidit auctoritas: nulli, laico clerico, ne quidem confessionario et concionatori
aulico,

II. maiestatem laedi.

aulico, danda est licentia Principem publice corrigendi. Vbi enim hodie datur vni, cras videbis alios, qui idem sibi sumant. Lubenter enim superioribus insultant ciues, lubentius clerici, vel propter eam solam rationem, quod illis parere debeant.

§. XXXIX.

*Non itaque publice di-
iudicari et improbari
permitteret
1) sacra sua,*

Tantum itaque abest, vt possit debeatque Princeps euangelicus, curator reip., dominus clericorum, pati x), se a mystis reprehendi publice, nominari fratrem Ahitophel, Nadab, Abihur et Vfae, violatorem maiestatis diuinae, promotorem religionis falsae, contemptorem legum fundamentalium, oppressorem viduarum et pauperum, fautorem peccatorum, atheum, iniustum, vt potius Superintendentem, Concionatorem aulicum, aliosque horum titularum, iudiciorum, et reprehensionum auctores, criminis laesae maiestatis reos, et poena, quam ipse vel decessores sui in istud statuerunt crimen, dignos iudicare, et, vt in posterum ex eorum numero alii auctoritate religionis ad sedandos adfectus suos abutantur, cauere possit debeatque.

x) Non enim est, cur bus postponat eum. De illis praelatis aliisque superiori- autem Leo X. disposuit. - -

pacem

pacem ac dilectionem mutua
a Redemptore nostro tantopere
commendatam, ubique fouen-
tes, non scindant vestem in-
consultilem Christi, sed ab E-
piscoporum et Praelatorum, ac
aliorum Superiorum, eorum-
que status scandalosa detra-
ctione, quos coram vulgo et
laicis non modo INCAUTE,

sed etiam INTEMPERAN-
TER reprehendunt et mordent,
et ab eis male gestorum EX-
PRESSIS QUANDOQUE
NOMINIBVS APERTA
ET MANIFESTA RED-
ARGVTIONE, abstineant.
V. Bullarium M. T. I. f.
570. b.

§. XL.

Discipulis Hendelii, quos hic frendere et mi-
hi sententiam ad eorum tradita mutandam in-
iungere audio, gratum non faciam, nisi me
falsitatem theseos meae docuerint, vel ex reue-
latione, vel ex ratione. At, inquis, hoc iamdu-
dudum fecerunt praestantissimi theologi, GE-
ORG. NITSCHIVS y), IO. HVLSEMANN z),
KROMAYER a) aliique. Tamen quia non at-
tendendum esse censeo: quis dixerit, sed quid
quisque dixerit? dabunt facile mihi, vt, spreta
tantorum virorum, quorum alios aliis stupi-
diores habeo, auctoritate, rationum pondera
examinem.

quicquid di-
cant alii,

y) in Mysta feruido.

moderatione correptionis fra-
ternae.

z) Diff. pract. de iure et

a) Instruct. de elencho morali.

E

§. XLI.

§. XLI.

moti 4. ra-
zionibus,
quarum
quum

Sunt autem quatuor (eas enim, quas tam in ciuibus, quam Principibus corrigendis adferunt, lubens iam praetereo) rationes, ex quibus Principem publice corrigendum esse statuunt. *Prima* est, quod Deus non respiciat personas, et seruos suos iusserit, omnibus *b)* indistincte et intrepide annuntiare legem. *Secunda*, quod Nathan *c)*, Micha *d)*, Elias *e)*, Ieremias, *f)* aliique Prophetae Dauidem, Principes Israelis, Ahabum, Ioiakim et alios correxerint reges, ad quos a Deo fuerint missi, atque Ioannes Baptista *g)* et Saluator noster *h)* culpauerint Herodem. *Tertia*, quod, quisquis sit, siue rex, siue grex, qui peccauit publice, verbis, licet conuitii quicquam in se contineant, publice ex auctoritate Pauli *i)* corrigi permittat Ius Canonico-Pontificium, et in eadem sententia fuerint patres *k)*, Lutherus *l)* et alii theologi *m)* pariter atque Icti *n)*.

b) Ies. LVIII, 1.

c) 2 Sam. XII, 7. 10.

d) c. III, 1-3. 2 Reg. vlt.

v. 27.

e) 1 Reg. XVIII, 17. seq.

f) c. XXII, l. XXXVI,
29. seq.

g) Matth. XIV, 4.

h) Luc. XIII, 32.

i) 1 Tim. V.

k) CHRYSOSTOMVS *ad Eudoxiam*, ATHANASIVS *ep. ad solit. vit. agent.* HILARIVS aliique, quos nominat

nat HVLSEMANN c. l. p. 78.

l) Tom. V. Altenb. p. 28. seq. das sind giftige und fährliche Prediger, die einen Theil allein vor sich nehmen, schelten die Herren, auf daß sie den Pöbel kükeln, und den Bauern hofieren; oder wiederum, schelten den Pöbel, daß sie den Herren heucheln, sondern es heist, alle beide Theile in einen Topf gehauen, und ein Gericht daraus gemacht, einen wie den andern. Denn das Predigtamt ist nicht ein Hof-Diener oder Bauer-Knecht, und sein Befehl geht über Herrn und Knechte. Eadem fere verba leguntur To. III. Vitemb. in Psal. 81. p. 130. Porro enuntiat To. V. Ien. f. 362. ita: Es will dem Herrn Pastor nicht gebühren, daß er zum Frevel und Unrecht, so der Rath an ihm begangen, schweis

ge, et in Pl. Cl. Straft man sie, so soll es Aufruhr heißen: Ich möchte nur schier sagen, wie jener Prediger, da er von Hasenstreifen sagte: daß der Kopf böse zu streifen, meinte aber die Fürsten und Herren,) streife dich, sprach er: der Teufel.

m) V. C. FRID. BALDVINVS, IO. CONR. DANHAVERVS, IO. GERHARDVS, IO. LVDOV. HARTMANNVS, IO. FRID. MAYERVS, ARNOLD MENERING, IO. ANDR. QVENSTED, PAVL. FRID. SPERLING., IO. TARNOVIVS, quorum dicta huc pertinentia laudat NITSCH. c. l. p. 112. seqq.

n) BENED. CARPZOV, IO. GEORG. SIMON, THEODOR. REINKING, quorum sententias sistit, ID. c. l. p. 115. seqq.

§. XLII.

Straminea et lubrica mihi videntur argumenta ista. Quod enim Deus, rex regum, non respiciat personas, quid hoc ad oratores sacros,

ciues in republica? Equidem illud non video, nisi *vel* statuere velis, characterem repraesentatum, quem dudum exploserunt euangelici, iis inditum, eosque propterea ab omni potestate ciuili exemptos esse, *vel* docere, vbi et quando ministris verbi diuini permiserit Deus, quo zelo et contra quem velint uti. An vero hoc factururus sis, valde dubito. Scio equidem certe, huc non pertinere factum illud Paullinum Act. XXIII, 3. 5.

§. XLIII.

*neque se-
cunda,*

Quod secundam attinet rationem, notes velim, quod (1) Deus Prophetis, quos ad corrigendum misit, mandauerit *o*) regibus et eorum ministris *p*) PRIVATIM, non vero congregato populo, ut ne a ciuibus male audiant, irae suae nuntium adferre; quodque (2) Propheetae regibus facta mala non aperte exprobrauerint, sed eos, vel elegantissima parabola *q*) proposita, ad peccati confessionem yltroneam adduxerint, vel literis *r*) conuicerint; ideoque *vel* mihi concedas, te peruerso more, quae de Prophetis in Scriptura sacra leguntur, interpretari, et ad nostros V. D. ministros applicare, *vel* dicas, quid statum Principum nostrorum statu

tu regum Iudaïcorum eorumque ministrorum deteriorem reddiderit? Quid eandem, nedum maiorem potestatem tribuat nostrarum ecclesiarum doctoribus, quam habuerunt Prophetæ eorumque filii?

o) 1 Sam. XV, 13. 2 Sam. XII, 1. XXIV, 12. Jerem. XXII, 1.

p) Ies. XXII, 12.

q) 2 Sam. XII, 1. seq.

r) 2 Chron. XXI, 12.

§. XLIV.

Factum Iohannis (§. XLI, 2.), quod in partes suas trahunt Crypto - Hierarchæ, nihil plane probat. Dubium enim adhuc est, conuictus tantum an culpatus fuerit Herodes, multo magis an reprehensus publice. Quid? quod correctionem factam non fuisse, ex eo, quod Herodes post hunc adhuc actum, Ioannem dilexerit, et illius sermones lubenter audiuerit, non immerito colligit vir summe Reu. MARPERGERVS s).

s) cit libr. P. II. p. 149.

§. XLV.

Quod ad Christi factum attinet, rehero,
(1), neque Herodem Christi fuisse Principem,
F 3 neque

neque (2) Christum quaedam dixisse, vt verbis *LYSERIVTAR t*): *ex contemptu, sed omnia ex auctoritate muneris sui: quia verbo Dei subiacent omnes homines, vt ex eo arguantur, quicumque peccant. Sic suo exemplo ministros suos docet, qua libertate in arguendis manifeste sceleratis, et hostibus uti debeant: ibi scapham scapham, lionem lionem nominent, sine respectu personarum. QVOAD tamen MAGISTRATVS MODERATE AGANT, ne quis ipsis obiiciat, esse ipsos ex numero eorum, de quibus Iuda in epistola sua v. 8. qui dominationes spernunt et maiestates blasphemant. NEQVE ENIM MINISTRI REGVM ET PRINCIPVM CORDA ATQVE RENES ITA RIMARI POSSVNT, SICVT CHRISTVS DOMINVS: neque (3) Christi factum imitandum esse, quum sit propheticum ac heroicum u).*

t) *Harm. Euang. c. 118.*

u) *Luc. IX, 54.*

§. XLVI.

Porro ad ius a Pontificibus statutum provocant (§. XLI, 3.) At quod factum istud est? quo profitentur candidè, se *vel* ignorare, quod in Principum nostrorum iuribus impugnandis

et

neque ter-
ria,

et deducendis, ius pontificium laudari nequeat, *vel* male in fraudum papalium dissimulati-
bus, quam ingenuis iurium Principis circa sa-
cra adfertoribus esse.

§. XLVII.

lis, qui exemplum redarguendi Principes a <sup>neque quar-
ta subsistat,</sup> Lutherō capiunt, (§. XLI, 4.) suggerere lice-
bit prouerbia ista: D. Luthers Schuh sind nicht
allen Dorf-Pfaffen gerecht x).

Stulta sapit mundus, vult quilibet esse Lu-
therus,

quae vera sunt, quam quae verissima. Stultus
enim omnino est, qui alium hominem, et in iis,
vbi humani quid passus est, et sic Lutherum in
elencho y) imitari conatur. Stultus est ex pa-
storum filiis ille, qui Lutheri, cuius ingenio, pi-
etate, donis, vocatione longe est inferior, he-
roica facta imitanda sumit. z)

x) Quam paroemiam ex-
posuit GEORG. HENR. GOE-
TZIUS.

y) Quod in elencho sae-
pe peccauerit, vicemque
suam doluerit LUTHERVS,
et ipse fatetur To. V. Al-

tenb. f. 275. et MATTHE-
SIVS testatur hom. VII. de
Vita Lutheri h. v. Wie es
zwar unserm D. oftmals auch
herzlich wehgethan, daß seine
Schriften so rauschen wie die
Platz-Regen, und wünschte
viel

vielmahls, daß er so fein sacht
te und lieblich regnen könnte,
wie Herr Philippus und er
Brentius.

z) Non exacte, quodam-
modo tamen, dicta nostra
confirmat QVNSTEDT
Eth. Pastor. p. 64. dicens:
Multa Lutherus in suis scri-
ptis habet, vere heroica, quae
ab ipso recte et appositissime

dicta atque scripta sunt: quip-
pe a tanto viro, qui singulari
auctoritate diuinitus erat cir-
cumdatus. Quare videndum
est, ne, dum tanti viri ZE-
LVM, et IN DICENDO HE-
ROICAM LIBERTATEM
IMITARI intempestiue stude-
mus, IN TEMERITATIS
SVSPICIONEM incida-
mus.

§. XLVIII.

Quum itaque argumenta, quae ex Scriptu-
ra sacra, iure pontificio, et ab exemplis depro-
munt (§. XL I.) ex theologis ii, qui nihil prius
nihilque antiquius habent, quam culpae Principem,
nullius sint momenti (§. XL II. seqq.): iis
non concuti iudico sententiam nostram, qua
Principes Germaniae, euangelicorum sacris ad-
dicti, possunt, immo vi curae salutis reip. debent
(§. XXXVIII.) oratoribus sacris, ne se repre-
hendant publice, multo minus coram plebe pro-
brosis vocent nominibus (§. XXVII.), quae-
cunque causa (§. XXXII.) sit, propria aliena,
certa dubia (§. XXXIV.), interdicere, et ab
interdicti violatoribus poenam sumere (§. XII.
XVI. seq.)

§. XLIX.

stat senten-
ria nostra.

§. XLIX.

Confirmant sententiam nostram Rec. Imperii a) et Dd. non infimi subsellii, theologi pariter atque Icti; ex quibus laudare iuvat SECKENDORFIVM b), GROTIUM c), TAYLOR d), LAEGERVM e) et TENZELIVM f)

a) R. L. 1530. §. 44. 45.

b) Christen Staat p. 256. et de Lutheranismō lib. III.

c) ap. THOMAS. Jur. Händ. P. IV. p. 181.

d) ap. NITSCHIVM Myst. feru. p. 108.

e) De C. S. et I. c. 29. p. 257. Talia dicenda sunt nerveose, devote, ardentem, et cum lacrymis, quae saepe dura et-

iam corda emolliunt. *Experientia eius rei testis est. Saepe etiam literae, ad principem cum devotione scriptae, pondus habent non exiguum. Non tam facile effluunt e memoria. Caeterum CLAMORES TRIBVNITIOS NON SVADEMVS.*

f) d. de eo, quod circa conciones iustum est §. 8. seq.

§. L.

Quid itaque mirum, quod Principes nostri statim atque hoc sibi sumunt oratores sacri, ut eorum facta theologico in suggestu subiiciant examini, illud prohibere, et prohibitionis contemtores ab officio remouere, vel alio modo punire soleant. Adhuc tamen, quod equidem scio, nullus vnquam minister ecclesiae nostrae, ea facta est expertus, quae Eliam, Micham, Hanani,

F

Sema-

*praxique
confermis
est.*

Semaïam, Ieremiam aliosque traxisse legimus. Id forsitan causae est, quod maximus eorum numerus nequeat cum Ieremia dicere: Deum testor, ab eo missus sum.

§. LI.

b) iura sua

Secundo non est, (1) cur Princeps mystis indulgeat, vt in suggestu iura sua v. c. *soluendi hunc et illum a poena homicidii; breue tempus statuendi, intra quod omnibus praescribatur criminibus; tolerandi dissentientes; imponendi ciuibus et ecclesiis onera, censum; iubendi campanarum sonitu conuocari ciues ad angarias praestandas, latrones persequendos etc.; per quem velit, iudicandi, excommunicandi et a banno absoluendi clericos ita dictos; ecclesiastica immutandi statuta; reformandi ritus, conciliis oecumenicis determinatos; decidendi controuersias theologicas; condendi formulam fidei; adornandi festos dies; interdici hoc vel illo cantico; dandi gratiam legis diuinae, quae Leu. XVIII. et XX. occurrit g); consistoria, confessionem auricularem etc. abrogandi; suae religionis exercitium intrudendi etc. impugnent, aut doceant, consistorium in iis exercendis concurrere debere. Hoc enim factio grauitur maiestas laeditur, datur ansa seditio-*

ni

ni *h*), et episcopali ambitioni incrementum. Qua de re in *Ord. Eccl. Magd. i*) ita est dispositum: Ein Prediger soll sich in keine policey und weltl. Händel mengen, Obrigkeit und Unterthanen bey Einigkeit erhalten helfen, was er zu erinnern hat, *priuatum* thun, und nicht sofort auf die Cankel bringen, vielweniger der Obrigkeit und Amts-Personen Respect durch unzeitige anzügliche Straf-Predigten schmälern.

g) LVDOLFF *obs. for.* BARBEYRAC. *Or. de magistratu, forte peccante, e pulpitis sacris non traducendo.*
193.

h) TAC. HIST. I, 23. *i*) Tit. 17. §. 8. Tit. 19. §. 23.

§. LII.

Porro de eo cogitet Princeps, (2) ne quis doctorum in suggestu, suorum ministro- rum collegia, salaria, sententias, fidem in obe- undis muneribus etc. culpet, aut (3) ciuilia tractet negotia, v. c. diudicet: bellum an pax peti debeat? tributa imposita iusta sint, nec ne? nocentibus poena infligenda, an remittenda? et quod faciendum esse putat, statuatur auctoritate praetoria, sed (4) vbi hoc factum est, *ibi* honoris declarationem *k*), aut reuocationem *l*), *hic* poenam iniungat arbitrariam *m*).

at quoque (5), quo minus in suggestu propal-
lentur arcana domus, aut in ea inquirendi lo-
cus detur aliis.

k) Quae sufficere videtur
CARPZIO, vbi tecto no-
mine in magistratum inferi-
orem inuectus est doctor.
Jurispr. Conf. lib. III. def.
103.

l) Ne priuato ausu am-
bitiosos Mystrarum animos
fugillare videar, ad SPENE-
RVM prouoco, qui *conf. Tb.*
P. IV. c. 7. art. 2. sect. 20.

dicit: Hätte selbst davor ge-
halten, daß eine öffentliche De-
claration, daran der Kirchens
Vorsteher Zeumuth, weil die
Gemeinde böse Gedancken von
ihnen zu schopfen angefangen,
wieder gerettet zu werden nicht
nur thunlich, sondern nöthig
gewesen wär &c.

m) SLEVOGT §. 6. cir-
ca fin.

§. LIII.

Atque sic habes L. B. quae de iure Princi-
pis Evangelici circa oratores sacros h. t. dicen-
da putauimus. Scilicet, in quantum nobis li-
cuit, ex lumine naturae, quid iuris cuique Prin-
cipi in oratores competat? ostendimus (§. I.
seq.); quae sint Principis Evangelici in Germa-
nia circa oratores sacros in genere? explicauimus
(§. XIV. seq.); quod Principes nostri pos-
sint ratione finis reip. habita, oratoribus sacris
interdicere, ne quid in contemptum ciuium
(§. XX.

(§. XX. seq.), Principis aut magistratum (§. XXXVIII. seq.), loquamur in suggestu, demonstrauius. Nostrum iam esset *progredi* ad reliqua, quae Princeps euangelicus potest debetque a rep. defendere, vtpote seditionem, haeretificinam, violationem pacis religiosae, imperium in conscientias; *deducere*, quod Princeps iubere possit, oratores sacros de subiecti-
one, seruandis LL. soluendis tributis etc. monere populum; Nostrum esset *delineare* potestatem Principis, ratione finis ecclesiae habita, ratione adiaphororum etc. Sed breuitas temporis et quaedam alia nos gradum hic sistere iubent, dabis ergo L. B., vt ea, quae restant, aliis speciminibus proxime edendis, deducamus.



(p. XX. sed.) Principis aut magistratum
 (p. XXVII. sed.) locumque in regnum
 demeritissimum. Nostri iam esse videtur
 etiam, quod Princeps evangelicus potest
 et bene se ad defendere, utque iudicando
 interueniam, violationem legis religiose
 impetum in conscientiam, etiam, quod Prin-
 ces se habet, oratorum tam de iudicium
 que, etiam de his iudicandis tunc etc. in
 tate populorum, Nostri esse videtur potest
 tem Principis ratione hanc etiam habet ta-
 rone etiam tunc etc. sed etiam in temporis
 et praedam, et nos gradum, et hanc in-
 bent, dabit ergo L. B., ut ea, quae restant,
 hanc iudicandis proxime etiam,
 deducimus.

